ex ore utrimque prominent: iis tanquam gladio & ſerra utuntur fibri ad arbores exſcindendas, cum domos extruunt; in iis enim fabricandis mira pollent induſtria. Eas ponunt ad lacuum fluviorumve ripas: muros è ſtipitibus componunt, interjecto ceſpite uliginoſo ac tenaci, calcis inſtar; vix ut multa vi effringi opus & convelli poſſit. Tota caſæ fabrica variis contignationibus diſtinguitur: infirma è tranſverſis lignis craſſioribus conſtat, inſtratis deſuper ramis, ac relicto foramine & oſtiolo, per quod in fluvium ſubire, cum videtur, poſſint: Hæc modice ſupra fluminis aquam exſtat, aliæ aſſurgunt altius, in eaſque, ſi fluvius intumeſcens imum tabulatum vicerit, ſe receptant. In una è ſuperioribus contignationibus cubant; præbet molle